Nos Wladislaus Dei Gracia Rex Hungarie et Bohemie etc. Marchio Moravie et Lusacie etc. Memorie Commendamus Tenore presencium

Significantes quibus expedit vniuersis: Quod pro parte et in personis fidelium nostrorum Circumspectorum Judicis et Juratorum ceterorumque Ciuium et Hospitum ac totius communitatis oppidi Debreczen exhibite sunt nobis et producte quedam litere Serenissimi principis condam domini Sigismundi Imperatoris et Regis in pargameno

sub duplici secreto Sigillo suo de et super nonnullis libertatibus immunitatibus et libertatum prerogatiuis eisdem Ciuibus per ipsum condam dominum Sigismundum Imperatorem modo et ordine inferius in tenore earundem literarum contentis gratiose concessis in pendenti confecte. Supplicatum itaque extitit Maiestati nostre pro parte prefatorum

Ciuium vt easdem literas dicti condam domini Sigismundi Imperatoris ac omnia et singula in eis contenta ratas gratas et accepta habentes presentibusque literis nostris priuilegialibus verbotenus inseri facien pro eisdem Judice et Juratis Ciuibus ac tota comunitate dicti oppidi Debreczen innouan perpetuo valituras confirmare dignaremur Quarum quidem

literarum tenor talis est Sigismundus dei gracia Romanorum Imperator semper Augustus ac Hungarie Dalmacie Croacie Rame Seruie Gallicie Lodomerie Comanie Bulgarieque Rex Marchioque Brandemburgen ac Sacri Romani Imperii archicamerarius necnon Bohemie et Lucemburgen heres vniuersis Christifidelibus presentibus pariter et futuris presencium notitiam habituris Salutem in omnium

Saluatore. Imminente nobis assidue negociorum varietate in nulla dum pro felici statu et augmento rei publice procurandis mens nostra hincinde distrahitur dignum ducimus et necessarium arbitramur: vt regie mansuetudinis prouidencia curam gerens subditorum ad ea que eorum statum respiciunt diligenti intendere sollicitudine teneatur atque opportunos

subire labores vt subiectus nobis populus nostre meditationis studio augmentatus libertatum prerogatiuis preditatus et municionum presidiis decoratus sicut numero sic et deuotione dilatatus in optate pacis tranquillitate conquiescat. Proinde ad vniuersorum tam presencium quam futurorum notitiam harum serie volumus peruenire: Quod nos in mentis

archano perspicaci meditatione reuoluentes et in Cronicis huius Regni nostri ad plenum notatum fore perpendentes quomodo hoc Regnum nostrum variis sepe afflictionibus interdum per diuersos aliquando per Tartaros nonnunquam per paganos nouissime vero per Turcos irrogatis ob muratarum Ciuitatum seu municionum carencia et defectum

cum homines vbi se et bona sua recludere seu reducere valerent loca fortia non haberent quinymmo cuncta quasi publico exposita predis hostium in propatulo subiacerent. tristissimas hominum tam interempciones quam abductiones miserabiles desolaciones et generaliter inestimabilia damna ac innumerabilia et inmania facinora que horror est referre

prohdolor pertulit detrimenta Conuocatis ex omnibus Regni nostri Ciuitatibus ac districtibus Ciuitatum Oppidorum et liberarum villarum Regie Jurisdicioni pertinencium Nunciis et legatis. auditis et diligenter intellectis eorum et cuiuslibet ipsorum petitionibus requisicionibus informacionibus et opinionibus precipue ad instauratione Ciuitatum

muratarum et municione fortaliciorumque preparacionem pertinentibus inter Regni nostri alias Ciuitates quas murari disposuimus Ciuitatem nostram Debreczen vocatam que hactenus nullius municionis presidio protecta a quam pluribus et precipue in proximo iam preteritis disturbiorum ac Regni nostri variarum motionum temporibus grauia damna

sustinuit atque predas necnon exercituales qui hostiles potius dici possunt descensus et discursus creberrimis vicibus cum grandi personarum et rerum dispendio tollerauit de Prelatorum Baronum Nobilium et Regni nostri procerum Nunciorum etiam et legatorum predictorum pari et vnanimi voluntate digesto consilio sanaque ac matura

deliberacione prehabita muro solempni et fossatis ac aliis opportunis seu necessariis municionibus in loco et per ambitum seu circuitum per Ciues ipsius ad hoc eligendos circumferencialiter cuncti volumus circumdari decreuimus et presenti Sanccione de Regie pietatis plenitudine procedente stabilimus vt Ciues Hospites et homines eiusdem

vniuersi bene fortificati ac muniti in amenitate pacis aduersus hostiles impetus et inimicorum incursus in eadem tuti possint et securi valeant residere decernentes et edicto Regio perpetuo statuentes quod annotata Ciuitas Debreczen ipsiusque et habitatores a modo deinceps in antea omnibus Juribus consuetudinibus gratiis emolimentis

libertatibus comoditatibus exempcionibus honoribus Jurisdicionibus priuilegiis Judiciis et generaliter vniuersis et singulis condicionibus quibus Ciuitas nostra Buden et insitantes eam vti Regi gubernari consueuit ac gaudent quibusuis etiam appriatis seu distinctis vocabulis exprimantur ad plenum sine diminucione quelibet vtantur gaudeat

et ad plenum poriantur [illegible] limitacionibus inferius declaratis et libertatibus per nos eidem Ciuitati nostre Debreczen eiusque [illegible] hospitibus et Incolis in speciali superadditis concessis atque graciosius elargitis primo siquidem [illegible] et ex deliberacione matura ordinamus quod prefati Ciues Hospites habitatores et Incole ac tota comunitas ipsius Ciuitatis

nostre Debreczen vocate pro censu annuo. Centum quinquaginta flor puri auri in die Strenarum et totidem vero Centum quinquaginta flor modo simili puri auri in festo penthecostes vel eorum valorem condignum nobis et Camere nostre Regie absque aliquali prorogacione. Magistro denique Janitorum nostrorum in eodem die Strenarum non plus nisi sex

flor auri cum predictis muneribus et encenniis nostris annuatim et perpetuo dare et pleno cum effectu soluere teneantur. Preterea Magistro Agasonum nostrorum artifices cuiuslibet generis eiusdem Ciuitatis vt puta omnes pelifices vnum pellicium omnes frenatores vnum frenum et sic de singulis vnam rem dumtaxat in anno quandocunque

nos inde transire contigerit et non aliter dare et assignare. Ceteris vero officialibus tam nostris quam Reginalibus videlicet pincernarum et dapiferorum Magistris dispensatori hostiariis. Cocis et aliis quibuscunque nichil penitus dare et soluere debebunt ac tenebuntur assignare. Victualia autem dum et quando nos aut Reginalem Maiestatem

in ipsam Ciuitatem nostram Debreczen vocatam intrare contigerit extunc Ciues et comunitas ipsius Ciuitatis victualia opportuna ad vnam diem pro tota Curia necessaria sufficienter dare teneantur et habundanter amistrare. Judicem vero et Juratos Comunitas eligendi habebit potestate nemini presentandos qui omnes et quaslibet

causas ad instar vt premissum est Ciuitatis nostre Buden Judicare poterit ac diffinire et vt in ipsa Ciuitate nostra Debreczen vota querulantibus et eorum causas prosequentibus amore timore amicitia fauore et dilectione quibuslibet postergatis verum Judicium et Justitie debitum ministretur omnibus et quibuslibet cuiuscunque status gradus et

libere condicionis hominibus in presencia Judicis et Juratorum ipsius nostre Ciuitatis litigantibus et Juris equitatem sibi ipsis impendi et exhiberi postulantibus de Judicioque et Justitie impensione ipsorum Judicis et Juratorum Ciuium non contentis causam huiusmodi et ipsius adiudicacionem ad Judicii examen et discussionem dicte

Ciuitatis nostre Buden cuius fruitur libertate vel Magistri Thauernicorum nostrorum absque grauamine aliquali liceat libere appellare. Ita tamen quod causa per formam premisse appellacionis ad Magistrum Thauernicorum nostrum deuoluta et deducta e conuerso ad eosdem Judicem et Juratos ac quociens alium preterque ad nostram personalem

presenciam si opus fuerit nequaquam possit et valeat deuenire per nos examinanda discucienda et finaliter determinanda. Et vt Ciuitas ipsa in muris fossatis et aliis municionibus citius perficiatur et perfecta diligencius conseruetur Volumus et presenti ordinacione stabilimus vt Ciues Hospites et habitatores Ciuitatis predicte ad opus muri fossati

et aliorum fortaliciorum dicte Ciuitatis Debreczen auxilium subsidiumque et adiuuamen tam personale quam reale dare et prebere temporibus semper opportunis debeant et sint obligati. Vt igitur premissorum omnium et singulorum eorundem Institutio dispositio ordinatio et limitatio salua semper maneat atque firma nec per quempiam in futuro

valeat et debeat infringi retractari immutari vel quouismodo in irritum reuocari Ciues etiam hospites et habitatores antefati Regalibus se conspicientes insignitos presidiis possint et valeant vbique de nostra benignitate gloriari presentes literas nostras priuilegiales autentici noui Sigilli nostri duplicis appensione et certa sciencia roboratas eisdem

iussimus assignare Datum per manus Reverendissimi in Christo patris domini Eberhardi. Episcopi Zagrabien. Aule que nostre Regie Summi Cancellarii. Anno domini Millesimo Quadringentesimo quinto quarto nonas Mensis Aprilis. Regnorum autem nostrorum anno decimo septimo. Venerabilibus in Christo patribus dominis Valentino titulo Sancte Sabine sacrosancte

Romane ecclesie presbitero Cardinali ac ecclesie Quinqueecclesien gubernatore. Johanne Strigomien. Colocen sede vacante Andrea Spalaten Archiepiscopis Lucia Waradien Stephano Transsiluan eodem domino Eberhardo Zagrabien Agrien sede vacante Johanne Bosnen Wesprimien sede vacante Johanne Jaurien Nicolao Waccien Petro

Nitrien fratre Dosa electo Chanadien. ecclesiarum Episcopis ecclesias dei feliciter gubernantibus. Sirmien Traguriensis Scardonen Tininien Nonen Sibiniten Corbauien Segnien et Jadrensis sedibus vacantibus necnon viris et Magnificis Nicolao de Gara Regni nostri Hungarie palatino Johanne et Jacobo waynodis nostris Transsiluan Comite

Frank filio condam Konya Bani Judice curie nostre. Paulo Bisseno et altero Paulo de Peeth: Dalmacie Croacie prioratus et Sclauonie. Johanne de Maroth Machouien Banis. honor Banatus Seuerinen vacante. Nicolao Threthwl Thauernicorum et Comite de Posega. Simone filio condam dicti Konye Bani Janitorum

Martino Ders dapiferorum Ladislao de Tham pincernarum Petro Cheh Agasonum nostrorum Magistris Simone de Wewthaw Comite Posonien aliisque quam pluribus nostri Regni Comitatus tenen et honores. **Nos igitur** premissa supplicatione pro parte prefatorum Ciuium dicti oppidi Debreczen nostre Maiestati

porrecta Maiestatis Regia benignitate exaudita et clementer admissa prescriptas literas dicti condam Sigismundi Imperatoris et Regis non abrasas non cancellatas: nec in aliqua sui parte suspectas presentibusque literis nostris simili priuilegialibus verbotenus sine diminucione et augmento aliquali insertas quoad omnes

earum continencias clausulas et articulas Catenus quatenus eedem rite et legittime existunt emanate viribusque earum veritas suffragat. Acceptamus approbamus et ratificamus easque ac omnia et singula in eisdem contenta pro dicto oppido Debreczen consequenterque prefatis Ciuibus et Incolis vniuersis

ipsorumque heredibus et posteritatibus vniuersis perpetuo valituras confirmamus. Saluo Jure alieno: harum [illegible] secreto Sigillo nostro quo vt Rex Hungarie vtimur inpendenti comuniri fecimus vigore et testimonio literarum mediante. Datum Segedini in festo beati clementis pape Anno

domini Millesimo Quingentesimo. Regnorum nostrorum Hungarie etc. Anno vndecimo Bohemie vero tricesimo primo.